



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quare requiritur ut aliquis teneat Confirmandum, ipsumque sistat Episcopo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Confirm. Cap. IV. 123
oratione; postmodum verò egressi non vereban-
tur publicè fidem fateri, etiam coram inimicis
fidei Christianæ; & ideo manifestum est,
quod in Sacramento Confirmationis imprimi-
tur character.

C A P U T I V.

De Ceremoniis Sacramenti Confirma- tionis.

Q uæst. I. **U**ARE requiritur ut aliquis
teneat Confirmandum, ipsum-
que sifstat Episcopo?

Resp. Ex Divo Thoma. Dicendum quod, D. Th. 3. p.
sicut dictum est, hoc Sacramentum exhibetur q. 72. art. 10.
homini ad robur pugna spiritualis. Sicut au- in corp.
tem aliquis de novo natus indiget instructione
in iis qua pertinent ad conversationem vita,
secundum illud Hebr. 12. Patres quidem car-
nis nostræ habuimus eruditores, & revereba-
mur eos; ita illi qui assumuntur ad pugnam,
indigent eruditibus à quibus instruantur de
his qua pertinent ad modum certaminis: &
ideo in bellis materialibus constituuntur Duces
& Centuriones per quos alii gubernentur. Et
propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacra-
mentum, ab alio tenetur, quasi per alium in
pugna spirituali erudiendus: similiter quia
per hoc Sacramentum confertur homini per-
fectio spiritualis & tatis, sicut dictum est; ideo
ille qui ad hoc Sacramentum accedit, suspen-
tatur, quasi spiritualiter imbecillis & puer.

Hic autem nota, quod qui non est baptiza-
tus, vel non Confirmatus, non debet esse sus-
ceptor in Sacramento Confirmationis; quia
tenens aliquem ad Confirmationem, tenet

124 TRACTATUS III.

eum tanquam infirmum, & adhuc imbecilem; hoc autem fieri non potest à non Confirmato, cùm sit ipse etiam imbecillus, & infirmus. Quare non confirmatus non potest esse patrinus in Sacramento Confirmationis.

Quest. 2. Contrahitur-ne aliqua affinitas in Sacramento Confirmationis, sicut in Baptismo?

Resp. Ut ait Bonifacius Papa relatus in **Can. Nedum.** none, omnino contrahitur; sic enim ait. Ex **De Cognat.** Confirmatione quoque, seu frontis Chrisma-
spirituali in tione, spiritualis cognatio eisdem modis con-
trahitur, matrimonia similiter impediens con-
trahenda, & dirimens post contracta.

Conc. Trid. Et Concilium Tridentinum ait; Ea quoque
sess. 24. De cognatio qua ex Confirmatione contrahitur,
Ref. Matr. Confirmantem & Confirmatum, illiusque
cap. 2. Patrem & Matrem ac tenentem non egrediatur.

Quest. 3. Quid significat alapa quam Episcopus leviter, infligit Confirmato?

S. Carol. A&G. Resp. Episcopus, inquit sanctus Carolus,
p. 4. De Sa- eum leviter in maxilla cedit, quem Chris-
gram. Confirm. mate confirmat, ut sciat homo Christianus,
se jam militem esse, cuius pugna & victoria
eluceat in patientis injuryis, non in illis in-
ferendis; deinde se in Christiana militia con-
titutum esse, in qua non hujus vita jucundi-
tates & commoda querat, sed incommoda po-
tius, atque adeo mala multa patienter ferat.
Ac præterea intelligat officii sui esse, in acie
stare, telaque unde veniant observare: ita ut,
quamvis illis telorum iictibus corpus, honor,
opesque ladantur, anima tamen nullo pacto
offendatur.

Quest. 4. Quare Episcopus Confirmatum
signat Chrismate signo Crucis in fronte?

Resp. In Sacramento Confirmationis, ait